DE

NECESSARIA AD VALIDITATEM REMISSIONIS DEBITI ACCEPTATIONE

SPECIMEN INAUGURALE.

§. I.

Communis Interpretum Juris Sententia ad remissionis debiti valorem non exigit acceptationem.

Nemo sanè, nisi in re litteraria Jurisprudentiæ civilis planè peregrinus ignorare potest, vix non unanimem interpretum Juris sententiam esse, quod ad quamlibet donationem acceptatio requiratur; *a)* neminem quoque magìs latebit, quòd quoad remissionem debiti ejusmodi acceptatio non item à Juris Doctoribus postuletur. *b)*

a) *J. Christoph. Koch* de evictione non indistinctè in donatione præstanda §. 3. *Cor.* 3.

Wernherus in Dissertatione de acceptatione in donatione necessaria.

b) *Samuel Strykius* in usu moderno Tit. de donat. §. 3. in fine.

Georg Adam Struvius Exerc. 40. th. 8.

Henric.

Henric. Hahn ad Wesenbecium Tit. de pact. n. 3.

Joan. Henr. de Berger in Oeconomia Juris Libr. 2. Tit. 2. §. 28. & in resolut. Lauterb. Libr. 2. Tit. 14. quæst. 4.

Just. Henning. Bœhmer in introductione in jus Digestorum Tit. de pactis §. 26.

Schaumburgius Libr. 2. Tit. 14. §. 24. Libr. 39. Tit. 5. §. 6.

Frider. Gottlieb Struvius Tit. de pactis Thes. 18.

§. 2.

Sed erronea est hæc DD. sententia.

Qui interim verò ab omni præjudicio immunis Juris penetralia paulo propiùs inspexerit; haud dubiè cum Clar. WOLBERO *a)* & KOCH *b)* fatebitur, communem Juris Interpretum opinionem, quæ in remissione debiti acceptationem permittit exulare, vix non communi errore niti, sicque demum concludet: ad remissionem debiti æque ac ad donationem, ut effectum Juris sortiri possit, necessario requiri acceptationem:

a) In Dissertatione: de opinata remissionum debiti sine acceptatione & insinuatione judiciali validitate Gœttingæ 1748.

b) In Meditationibus ad Schaumburgii Compendium Digestorum. Meditat. 4.

§. 3.

Quia A) remissio debiti est vera donatio.

Dubio non subjacet & vix non unanimis (§. 1.) est interpretum Juris sententia ad donationem requiri acceptationem; quodsi

quodſi ergo probavero remiſſionem debiti eſſe donationis ſpeciem, de neceſſaria pariter ad illius valorem acceptatione non magis dubitare licebit.

§. 4.

Quod probatur per L. 9. ff. de donationibus.

Cùm nempe in remiſſione debiti in illum, uti unicuique patet, cui remiſſio fit à remittente liberalitas exerceatur, non immerito, quæ de donatione & de remiſſione debiti prædicanda videntur; & in hanc rem egregie facit *L. 9. ff. de Donationibus*, ubi JCtus Pomponius: *in ædibus alienis habitare gratis donatio videtur, id enim ipſum capere videtur, qui habitat, quod mercedem pro habitatione non ſolvit, poteſt enim & citra corporis donationem valere donatio, veluti ſi donationis cauſa cum debitore meo paciſcar, ne ante certum tempus ab eo petam.*

§. 5.

Quæ Lex citata illuſtratur.

In præſtructa Lege nona remiſſio mercedis appellatur donatio, porro & illud donatio dicitur, ſi cum debitore meo paciſcar, ne ante certum tempus ab eo petere poſſim. Quòdſi ergo hæc & ejusmodi in citata Lege donatio dicenda, per argumentationem indubiam hic licet concludere, quod potiori jure dicenda ſit donatio, ſi meo debitori debitum plane remittam. Et ſic ſi in remiſſione debiti donationem adeſſe non

poſſim

possim negare, necessario & fatendum, eadem plane requisita subintrare debere, quæ donationem in specie sic dictam concomitantur, quare & acceptationem requiri nemo facile negabit. *a)*

a) Ex præstructis his principiis quoque sequitur, quòd remissio debiti, si excedat summam quingentorum aureorum, judiciali insinuatione indigeat. — Et hinc

Cancerius in variis resolutionibus juris Part. I. Cap. 8. de donationibus n. 4. ait: " *Utrum autem in liberatione sive remissione debiti requi-* „ *ratur insinuatio, si excedat summam quingentorum aureorum in du-* „ *bium solet controverti.* — *Veritas est, quòd idem judicatur de* „ *dicta remissione, quòd de donatione, cum remittere & donare paria* „ *sint.* „

Interim per modum exceptionis ab insinuatione judiciali liberatur remissio Usurarum debitori à creditori facta, licèt summam 500 solidorum excedat, quod clarissimis verbis definit *L. 23. ff. de donationib.* ubi: *Modestinus respondit, creditorem futuri temporis usuras & remittere & minuere pacto posse: nec in ea donatione ex summa quantitatis aliquid vitii incurrere.* „ — Ex qua lege ulteriùs patet, quod verissima sit conclusio remissionem esse donationem

Joachim Georg Daries in institutionib. jurisprudent. privatæ Romano-Germanicæ pag. 324. in corollario ait: " *Cum debitum acceptum ferre idem sit ac debitum remittere, manifestum erit, acceptationem esse donationis speciem atque imaginariam solutionem, ideoque ea, quæ de donatione atque solutione explicata sunt, hic posse accommodari.*

Joan. Christoph. Koch in meditationibus loco supra citato.

§. 6.

Quia B) in remissione debiti verum pactum latitat.

Non tantum, quia remissio debiti donationem constituit, sed quia per pactum perficitur, ulterius acceptatio ad ejus valorem postulatur. *a)*

a) Argumento L. 23. ff. de donationibus, ad quam provocat *Koch l. cit.*

§. 7.

§. 7.

Quod probatur per L. 1. §. 3. ff. de pactis.

Indubia hujus asserti veritas redditur, siquis inspexerit *L. 1. §. 3. ff. de Pactis* ubi ULPIANUS: " *adeo autem conventionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem: quæ non habeat in se conventionem: sive re sive verbis fiat, nam & stipulatio, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est.*

§. 8.

Quæ lex citata illustratur.

Apertum enim & in vulgus notum est, quòd ille, cui debitum remittitur, ex remissione sibi facta parum utilitatis sperare possit, nisi adsit medium, quo debitor creditorem suum ab exactione debiti in futurum queat removere, aliud autem cogitari vix potest, nisi acceptationis accessio, quâ demum factâ remissio fit actus bilateralis, & verum pactum constituit. Quamprimum enim remissio acceptata fuit, licet affirmare, quod adinstar donationis in conventionem transierit. Præterea cùm remissio debiti alias etiam nomine pacti de non amplius petendo veniat, negari non potest, quin creditor per remissionem debiti à se factam suscipiat obligationem, debitorem suum ratione debiti nullo ampliùs tempore conveniendi; quæ jam autem obligatio stringat creditorem, nisi debitoris per acceptationem consensus, uti lex citata insinuat, accedat?

§. 9.

§. 9.

Quia C) alioquin contractus bilateralis ex una paciscentium parte dissolvi possit.

Est porro communis Doctorum & Juris usitatissima regula: *quod nihil tam naturale sit, quàm aliquid eodem modo dissolvi, quo colligatum est.* Quodsi jam attentâ hac regulâ Juris remissio debiti sine acceptatione vellet figurari, necessario & simul foret admittendum, contractum bilateralem ex una tantùm contrahentium parte posse dissolvi. Etenim ubi remissio debiti fit, semper contractus bilateralis est præsupponendus, E.G. contractus mutui, & sic ejusmodi contractus, quemdamodum nemo inficias ibit, ex parte tantum remittentis tolleretur, si alter, cui remittitur, ejus dissolutionem non acceptaret.

§. 10.

Quod 1) evincit L. 55. ff. de obligationib. & actionib.

Quare, cùm eadem principia in pacti confectione subintrent, quæ in ejusdem dissolutione, hoc loco quadrant illa *Legis 55. ff. de oblig. & actionib.* ubi: *in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium, nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum id, quod inchoatur, non potest.* a)

a) Rationa hujus legis sequentia animadvertit Hoepfner im Commentar der

der Heinneinschen Institutionen Tit. de obligationib. § 732. Nota. r. " daß Rechtsgelehrte giebt, welche behaupten, die Schankungen seyn ohne Acceptation gültig, habe ich oben (Tit. de donationib.) angeführt, jedoch das Gegentheil bewiesen. So glauben viele, daß die Pacta remissoria ohne Acceptation gelten, allein auch dieses ist ohne Grund.

§. 11.

Et 2) Titulus Institutionum, de modis, quibus tollitur obligatio, & Titulus Pandectarum de acceptilationibus.

Tironibus juris usque adeo ex Titulis institutionum: *de modis quibus tollitur obligatio*, & Digestorum; *de acceptilationibus* satis superque cognitum est, quód ex principiis Juris Romani antiqui nullatenus obligatio tolleretur nisì per solennem acceptilationem formulariam. Nunc quidem pro moribus hodiernis omnes pragmatici fatentur *a)* quòd stipulationes illæ in sensu Juris Romani exoleverint, interim tamen ad sublationem aut remissionem obligationis uno ore nudum pactum adhuc exigere videntur *b)*, cùm quod duorum consensu tolli debeat. Quodsi ergo pro moribus hodiernis ad remissionem obligationis, consequenter & ad remissionem debiti postuletur consensus duorum, patet omnino, remissionem debiti ex altera parte acceptandam esse, cum aliàs apertè ex una tantum parte sublatio obligationis admitti deberet.

a) Pro pluribus hic nobis sufficiat allegasse Clar. *Hellfeld* in Jurisprudentia forensi Tit. de acceptilationibus & Hoepfner im Commentar über die Heineccischen Institutionen Tit. de modis quibus tollitur obligatio.

b) *Hellfeld* loco citato.
Hoepfner im Commentar a. a. Orte.

§. 12.

contractum, duorum quoque consensu =

§. 12.

Quia D) ipsum Jus naturæ acceptationem ad valorem remissionis debiti expostulat.

Quodsi usque adeo leges deficerent positivæ, pro unico afferti fundamento sufficeret adducere leges ipsas naturales. Quis enim adeo insipidus erit, ut remissionem debiti beneficium esse diffiteatur, & quis in dubium vocabit regulam juris naturæ generalem: *beneficium invito non obtrudi*? Et si hoc: quis non videt, in remissione debiti aut acceptationem admittendam, aut regulam adductam penitus eliminandam esse?

§. 13.

Varia interim argumenta & Leges in contrarium ab interpretibus juris afferuntur.

Quanquam ex prædeductis in compendio liceat concludere, quòd remissio debiti cum juris effectu sine acceptatione fingi nequeat, non desunt tamen interpretes, qui contrarium, ut supra §. 1. indicatum est, tueri & defendere conantur; cum autem supervacaneum plane foret, hos contrariæ sententiæ patronos ex ordine omnes recensere & prætensa eorundem argumenta singulatim perstringere, hinc Præcipua tantum eâdem brevitate, quâ necessitas acceptationis demonstrata, nunc refellere conabor.

§. 14.

Et 1) quidem L. 23. & 53. ff. de solutionib. & liberationibus.

Quæ igitur sunt argumenta, quibus contrariæ sententiæ Patroni suam opinionem corroborare student? — Ad varias inprimis provocant leges, quarum prima est *L. 23. ff. de solut. & liberationib.* cujus verba hæc sunt:

" *solutione vel judicium pro nobis accipiendo & inviti &*
„ *ignorantes liberari possumus*

& secunda *L. 55. ff. eod. Tit.* ubi:

" *Solvere pro ignorante & invito cuique licet: cum sit jure*
„ *civili constitutum, licere etiam ignorantis, invitique*
„ *meliorem conditionem facere.* „

§. 15.

Sed hæ Leges meæ sententiæ non adversantur.

" Ast quid amabo (ut ait Clar. Koch) *a)* his textibus inest,
„ quod contrariam sententiam juvare posset? plane ego nihil
„ video, quod aliquam tantum veri speciem illi inducat. Ex
„ eo enim, quòd pro alio solvere liceat, & quod solutione
„ ab alio facta ego liberer; concludere sane non licebit,
„ acceptationem in remissionibus non esse necessariam; aliud
„ enim est solvere pro debitore creditori ejus: aliud est, si
„ creditor remittit. Est forsan remissio eo in casu, si alius

pro

„ pro debitore creditori ſolvit ? Cum puto amplius remittere „ non poſſe , qui creditum jam ſolutum accepit. Si alius „ creditori meo pro me ſolvit , contingit mea liberatio , „ ſed non ex remisſione ſed ex ſolutione. „ Verum quidem eſt , quòd ſolvendo pro ignorante & invito conditionem ejus meliorem facere posſim ; aſt an inde ſequitur , quòd remiſſio debiti ſine acceptatione validitatem nanciſcatur ? Nemo ſane hanc ſequelam legitimam affirmare auſit , & certe ſi ſequelam vellemus admittere , ex adducta *Lege* 55. nulla alia erueretur, quam quod tertius aliquis remisſionem debiti à creditore factam ignorante & invito debitore acceptare & ſic ejus conditionem meliorem ſacere poſſet. Firma tamen interim hoc in caſu maneret regula, remiſſionem eſſe acceptandam, licet non interſit an hæc acceptatio ab ipſo debitore an à tertio fiat. *b)*

a) In Meditationibus ad Schaumburgeri Compendium Digeſtorum loc. ſupra cit.

b) An inviti debitoris conditionem per acceptationem remiſſionis meliorem facere poſſim de hoc adhuc dubitari videtur propter principium Juris naturæ §. 12. adductum *invito beneficium non obtruditur.* Quoad ignorantem ſed non invitum autem ejuſmodi dubium non ſubeſſe credo ratione *L.* 63. *ff.* de *liberat. & ſolut.* ubi : *ſi debitor ſit ſervi fructuarius, poteſt is ſervus per acceptilationem liberare eum, videbitur enim ex re ejus acquirere. Idem in pacto dicemus.*

§. 16.

2) *Provocant ad L.* 47. *ff. de obligat. & actionibus.*

Aliud contrariæ ſententiæ patroni refugium quærunt in *L.* 47. *ff. de obligat. & actionib.* ubi ARRIANUS *ait* : "*multum intereſſe*

quæ-

„ *quæras, utrum aliquis obligetur, an aliquis liberetur? ubi de obli-*
„ *gando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasio-*
„ *nem ad negandum: ubi de liberando ex diverso ut facilior sis ad*
„ *liberationem.*

§. 17.

Sed citata Lex non adjuvat sententiam adversariorum.

Occasione hujus legis conclamata quidem res videtur in sententia adversariorum. Ast propiùs intuendo legem alia plane mens & sententia eruetur, quàm vulgo in ea latere putant. Lex enim citata tantummodo pro regula habenda est, ad cujus normam Judex in causis dubio subjectis procedat; quare definit, re dubia judicem proniorem esse oportere ad absolvendum, quàm ad condemnandum, re enim dubia adest occasio. *a*) Judex autem minime constituit liberationem, sed re dubiâ tantum eam factam esse pronuntiat, quia si in utramque partem argumenta probabilia afferantur, propensior debet esse ad liberandum, & in hoc consistit favor liberationis, quem si eatenus extendere quis conatur, ut pactum remissorium valeat sine acceptatione, id facit refragantibus legibus, reclamante totâ Jurisprudentiâ, & ut paucis dicam, eversis omnibus principiis. Quis enim præsumeret præsertim omni semoto dubio Judici attribuere potestatem aliquem cum derogatione juris tertio quæsiti aut obligandi, aut ab obligatione liberandi? hoc autem aperte fieret, cum supra sit expositum, quod per remissionem debiti remittens se obstringat, debitorem nullo amplius tempore ratione debiti conveniendi.

§. 18.

a) *Wernherus* in Commentat. select. ad Pand. §. 26.

§. 18.

Tandem 3) in præſumtione acceptationis opinionis ſuper fundamentum conſtituunt.

Cum ex præmiſſis legibus ſuam opinionem ſolide nequeant defendere contrariæ ſententiæ patroni, hinc aliter illi patrocinari ſtudent, dicentes: acceptationem ſaltem in remiſſione debiti eſſe præſumendam, cum quilibet videatur bene ſibi velle proſpicere, & nemo cenſendus ſit, beneficium ſibi oblatum, niſi plane diliret, velle recuſare.

§. 19.

Sed præſumtio hæc eſt chymerica.

Speciosa quidem & omni numero abſoluta videtur hæc argumentatio; ſed conſideranti patet, quod per eandem adverſarii proprio ſe gladio jugulent, eo ipſo enim, quo acceptationem in remiſſione debiti præſumendam aſſerunt, abſolutam ad valorem ejus neceſſitatem fatentur, id quod pro præſenti themate ſufficere poteſt. — Hoc etiam inattento videtur tamen prætenſa præſumtio adverſariorum admittenda non eſſe. Quidni enim & ex eadem præſumptione defendi poſſit, quod donatio abſque acceptatione valeat, quod nemo tamen ſaniore ſaltem Jurisprudentiâ imbutus unquam admittet? cur non & ſimul ex hoc præſumtionis principio quilibet contractus favorabilis ſubſiſtat, licet illius, cujus præ ſe fert favorem, conſen-

ſus

ſus non acceſſerit? — ſolido itaque hæc præſumtio non innititur fundamento, & licet vera ſit aſſertio, quod unuſquiſque videatur ſibi velle bene proſpicere, inde tamen minime ſequitur, ibi aut obligationes aut liberationes fingi debere, ubi neceſſaria ad easdem requiſita poſita nondum fuerint; idque eo minus ſequitur, cum experientia teſtis ſit, quod debitores non raro remiſſiones à creditoribus in ſui favorem factas arrogantiâ ducti recuſare non horreant. *a)*

a) Plura adhuc vulgò in contrarium argumenta afferuntur, ſed cùm hæc ita ſint comparata, ut refutatione non indigeant, ſtudio his ſuperſedeo. — Sic porro pro ſua opinione varia adducunt præjudicia Collegiorum Juridicorum & pronunciatas in Dicaſteriis ſententias, ſed cùm hæc pro lege nec eſſe nec valere teſte Clar. Koch. loc. cit. erudite oſtendat GRIBNERUS *in Diſſert. de obſervantiis Collegiorum Juridicorum* in opuſcul. Tom. 4. §. 2. p. 43. " Hinc ejuſmodi præjudicia & pronunciatas ſententias hic non moror; Juſtinianus enim in *L.* 13. *Cod. de ſentent.* ait: " *Nemo judex vel arbiter exiſtimet, neque conſultationes, quas non rite judicatas putaverit, ſequendum, non enim ſiquid non benè dirimatur, hoc & in aliorum judicum vitium extendi oportet, cùm non exemplis ſed legibus judicandum ſit.* " —

§. 20.

Concludo igitur, ad remiſſionis debiti valorem requiri acceptationem.

Non inepte pro coronide ſpeciminis quoad remisſionem debiti hic quadrare videntur, quæ de donatione ſic dicta protulit RABANUS BIRRENKOVEN *a)*: " *Donationem non dantis ſolùm voluntate, ſed & donatarii acceptatione vel verbali vel reali perfici tam naturali, quàm civili rationi conforme eſt in tantum, ut quamvis donator rem alteri donandam offerat, niſi tamen donatarii vel verbalis vel realis acceptatio acceſſerit, juri offerentis in rem oblatam nihil de-*

cedere,

„ *cedere, ſed potius donatorem rem oblatam ob deficientem Donatarii* „ *acceptationem jure revocare poſſe non dubitem.* b)

a) In Theſibus juridicis Teutoburgi ad Rhenum ventilatis 1778. Theſi 3.

b) Eadem effatur ZOESIUS in Commentario ad Pand. Lib. 42. Tit. de Confeſſis N. 16. " *Præterea hujusmodi Confeſſio* (liberatoria) *continet* „ *ſpeciem quandam donationis, quæ non eſt firma, priusquam acceptata* „ *fuerit, ut traditum eſt ſupra de Donationibus; ante enim liberum* „ *eſt promittenti donationem revocare.*

POSITIONES
EX
UNIVERSA JURISPRUDENTIA.

1. Jus naturæ complectitur Leges naturales hominum officia determinantes.
2. Non adæquata videtur eſſe diviſio officiorum erga Deum, erga nosmet ipſos, atque alios.
3. Inter præcipuas familiarum ſpecies eſt ſocietas conjugalis, quæ ſingulis præcepta dici nequit.
4. Jus gentium non eſt niſi jus naturæ ad gentes applicatum, ideoque ab illo non diſtinctum.
5. Genti in gentem poteſtas nulla competit.
6. Nihilo tamen minus bellum inter gentes juſtum & licitum eſſe poteſt.
7. In Civitate Imperans neceſſario exiſtit.
8. Ex pacto ſubjectionis determinantur jura imperantis & ſubditorum.
9. Jura in Imperantem translata revocari abſque imperantis conſenſu nequeunt.
10. In Eccleſia revera regimen ſacrum exiſtit.
11. Regimen hoc ſacrum à Chriſto Corpori Epiſcoporum hierarchico concreditum eſt, & pari quidem inter ſe apoſtulatus jure ſalvo tamen Primatu Petri.
12. Minor impubet ſeptennio tamen major licite & valide ſponſalia contrahit.
13. Pubertate adepta reſilire poteſt ſi ſponſalia reclamet.
14. Si autem ſponſalia in impubertate contracta juramento fuerint vallata adepta pubertate non poſſunt reclamari, id quod omni dubio caret, ſi contrahens ſponſalia fuerit pubertati proximus aut malitia ſuppleat ætatem.